

Dissertatio medica inauguralis, de dyspepsia / [Franciscus Morison].

Contributors

Morison, Franciscus.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xfqtfab>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

37664/P

M^o 7.




DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.



DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

DE

DYSPEPSIA

77431
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE
DYSPEPSIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS MORISON,

EDINBURGENSIS,

Societat. Physic. Edinens. Praefes,

Et

Socius Honorarius.

Non fasces, itaque, non purpuram, non extractas in altum divi-
tias, non ingenium artibus atque scientiis utcumque ornatum et im-
butum; sed animum communi utilitati inservientem, dignitas sequi-
tur. NICHOLLS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXXVII.

The Right Honourable

Henry Dundas Esq^r.

Treasurer of His Majesty's
Navy,



as a small mark of esteem
from a loyal & dutiful subject,
and also for his ready com-
pliance with a reasonable re-
quest from the author in
behalf of his Majesty
on the 22^d of December
1788.

Viro Honorando,

FRANCISCO GARDEN,

DE GARDENSTONE ET TROUP,

Supremae apud Scotos Curiae

Judici integro, et multum reverendo,

Societatum complurium eruditorum Sodali,

Scientiae omnigenae Maecenati,

Generi humano benigno, necnon amando,

Cui pauci sunt similes,

Mei Patri quasi alteri,

Affini vero et confanguineo,

Ob plurima in me meosque

Collata beneficia ;

Vin. H. 100. 100.

FRANCISCO GARDNER

DE GARDNERSTONE ET TROUT

Supremac quod Scotas Cortas

Judici integro, et optimo reventio

et Societatem complan. et studiorum Scotas

Scientias omniage. Macerant

Generi humano benigno, rectos amando

Ob. pauci sunt dantes

Ob. et si quis alius

Adm. vero et conuincendo

Op. plurima in me incipit

Collata beatus

Etiamque,

Viro optimo,

ALEXANDRO WOOD,

ARMIGERO,

Nofocomii Regii Edinensis Curatori,

Chirurgo peritissimo,

Erga propinquos pio,

Erga cives iusto,

Erga genus humanum benevolo,

Mihi per varios casus conſtanter amico,

Et amorem vere paternum ſemper oſtenſo ;

Hanc chartam ſtudiorum primitiam,

De ventriculi morbo frequentiffimo,

Animi haud ingrati teſſerulam,

Sacram vult lubentiffimeque offert

Auctor devinctiffimus

FRANCISCUS MORISON.

Etiamque

Vno optimo

ALEXANDRO WOOD,

AMICIS

Neocomii Regii Hiberniae Curator,

Chirurgo peritissimo,

Ergo propeque pio,

Esse vive iusto,

1784

scripsi per tuis, et in conspectu tuo

Et inquit vobis scripsi in tempore obsequii

hanc chartam in fiduciam peritissimo

De vobis et de vobis

Admiratione et gratia

et inquit vobis scripsi in tempore obsequii

et inquit vobis scripsi in tempore obsequii

et inquit vobis scripsi in tempore obsequii

et inquit vobis scripsi in tempore obsequii

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

QUUM legibus hujus academiae sancitum sit, nequis ad medicos honores, nisi prius aliquo, sui in medicina progressus, specimine, in vulgus edito, evehatur; idcirco de Dyspepsia scribere statui.

Morbus hic ex innumeris ac coeli stellis, quibus corpus humanum patet, attentionem meam invocat, aequae studioso scientiae omnigenae avaro, et virgini pulcherrimae dolenti comes injucundus.

Quandoquidem omnes corporis humani partes continuo de rebus actioni ventriculi expositis mutantur et nutriuntur, hujus organi vitium caeteris fabricae partibus multum injuriae laturum esse patebit.

Si fons ipse unde fluunt solida et fluida vitiosus, haec ipsa, progeniem equidem, sana et pura servatum iri haud credendum.

Haec principiis actionis in pectore humano potentissimis alloquentia, mihi persuasum lectori benevolo fat causae esse habere vellem, cur hunc morbum feligere exoptabam.

Hisce praemissis, rem ordine solito praescripto, qui, quando fat bene cognoscitur, haud praenuntiare oportet, nunc dicere progrediar.

HISTORIA.

HISTORIA.

Hujus morbi symptomata varia, quae variis hominibus dantur, enumerare, hanc theses partem prolixitati molestae extenderet, insignioribus tunc animum solummodo incumbendo, breviate nitentur. Morbus appetitus naturalis minutione, in ventriculi regione plenitudinis sensu, (etsi aeger non cibum recenter recepit), et animi languore plerumque oritur. Vires gradatim deficiunt, aeger lassitudine et motus aversione, praecipue post pastum, corripitur, gravitatis sensum fere ineffabilem et anxietatem circa praecordia habet, ventriculus et intestina aëre saepe tenduntur, qui vel sursum ructatur, vel deorsum currens borborygmos et dolores colicos excitat.

Ex ingestis in ventriculo diu retentis, eructationes variae nunc saepe fiunt, acidae scilicet, putridae, oleosae, amarae,

amarae, nonnunquam cibo solidiore stipatae, ad os usque surgunt, sicuti in bestiis ruminantibus observandum est, et hae semper caloris circa cardiacam sensu ingrato comitantur.

Morbo ingravescente, dolores acerbi ad epigastrium, aliasque canalis alimentarii regiones sentiuntur, et ventriculus ipse erga spinam quasi retrahitur, cum nausea et frequente vomitu, praesertim si alvus dura sit, quod hic saepe accidit,

Aeger, hoc morbi stadio, palpitationibus, dyspnoea, dolore capitis totius vel lateris utrinque gravativo, vertigine, et syncope saepius corripitur.

Versus finem morbi diarrhoea transiens, doloribus intestinorum spasmodicis stipata, occurrit, pulsus dilabitur, vultus pallefcit, facies tumida tristitiae lineamenta sibi defixa fert, functiones aliae vicissim, pro rata parte, labuntur; hoc tempore somnus oculos fugit, et si quando viribus exhaustis venit, infomnia dira secum fert, et exinde nullum percipitur levamen.

Omnes

Omnes animi dotes eodem fere gradu vi sua debiliores et ad exercitium ineptiores redduntur.

Febris hectica ultimum morbi stadium, et salivae fluxus praeternaturalis comitare observati sunt, saepiusque vero hydrops superveniens vitam subripuit.

DEFINITIO.

Omni- bus hujus morbi definitionibus adhuc prolatis objectiones fieri possunt, quod iis qui definiendi difficultates cognoscunt, hic vero praecipue (si in hoc multo difficilius quam in fere ullo alio morbo esse reputabit) haud equidem mirum videbitur.

Ut fere omnium aliorum, nosologus aevi primarius nobis optimam dedit, quam ergo verbatim tradere curavi.

“ Anorexia,

“ Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, rumina-
 “ tio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura
 “ horum simul concurrentia, plerumque cum alvo af-
 “ tricta, et sine alio vel ventriculi ipsius vel aliarum
 “ partium morbo.”

DIAGNOSIS.

Quando hoc malum saepe aliorum symptomata occur-
 rit, res summi momenti fit inter *dyspepsiam effectum, et*
primariam distinguere.

Ventriculus valde sensibilis, capitis omniumque abdo-
 minis viscerum morbos partim fert, et quando haec
 patiuntur, digestio impeditur; haec denique ex consen-
 su, qui inter et ventriculum intercedit, saepe vicissim
 afficiuntur; hinc malum primarium, symptomata praec-
 via et praesentia sollicitè indagando detegere summis
 viribus certandum est.

Distinc-

Distinctionem mox notatam et utilem ex hoc praecipue stabilire fidendum.

Nonnulli vero morbi huic affectioni idiopathicae simillimi existunt, quos ab ea tamen apud scriptores medicos multum distare fertur.

Inter eos autem hypochondriasis, scilicet, chlorosis, necnon podagram atonicam, tam veram existere differentiam, quam complures affirmant, haud compertum habemus; iudices ergo venerabiles secuti, distinctiones varias ab auctoribus nobis traditas dicturi sumus.

Hypochondriasis tunc, in temperamento melancholico invenitur, dyspepsia vero in *sanguineo* occurrit: Illi pertinent fibrae rigidiores, crines nigri firmiores, sanguis parcus et animus parum sentiens, cum vi notabili; huic autem fibrae laxiores, crines molliores, sanguis nimius (*unde nomen*) et irritabilitas insignis cum virium defectu.

In hypochondriaci mentem magis turbari, languorem, moestitiam, et metum, definitionis celebris Culleni insigniores conspici, etiam observare licet.

Appetentia cibi praeternaturalis, rei non esculentae desiderium, et mensium retentio chlorosin denotant, et haec signa vel saltem non omnia simul nunquam dyspepsiam comitantur.

Ex propiore similitudine signorum dyspepsiae et podagrae atonicae, diagnosis hic quam in prioribus instituire difficilius est.

Sedula autem accessionis subitaneae cum omnium, tum partis symptomatum violentiae, necnon aegri morborum praeteritorum, et podagrae praedispositionis haereditariae consideratio, de hac re conclusionem veritati appropinquantem nos excogitare adjuvabit.

Dolor constans fixusque circa partem, pressura semper auctus, aliquis tumor ex pressione aliquando ibidem

perci-

percipiendus, sensusque caloris fere perpetuus, digestio plus impedita, vomitus frequentior, alvusque durior, pylori schirrum a dyspepsia idiopathica denotant.

Sequentia diagnofin hic difficillimam adjuvabunt.

Macies quam in dyspepsia communi major cum hoc schirro adest, et ventriculi et intestinorum excreta mutantur, aeger nempe vel sursum vel deorsum sanguinem varii coloris materiem aliquando nigricantem, *atram bilem* olim male vocatam, ejicit *. Aliquando etiam pus excernitur, et per vomitum; vel faecibus rejicietur, si inflammarentur partes ad pylorum externae et in suppurationem abirent.

C

CAUSAE

* Audi Praelectiones Monroianas pathologicae utilissimas.

CAUSAE REMOTAE.

Causae hujus morbi remotiores attentionem medicorum sibi praecipue vindicarunt, unde has in classes duas ordine systematico dispositas habemus, quae scilicet aut in ventriculum ipsum, vel in systema totum, agunt.

Cum autem medendi scriptorum methodum attente investigamus, haec distinctio supervacanea videretur, quia rationem medelae quomodocunque applicatae fuerint causae, neutiquam variant.

Haec causarum divisio, nostro judicio, attentionem summam meretur, quia nempe aliquando ad medelam conficiendam et confirmandam auxiliabitur: Cum hoc autem asserimus ab oeconomiae animalis jam compertis legibus nequaquam decedere volumus, effectus quorundam totius systematis variis partibus quod ad sensibilitatem

tem

tem et partium distantiam vario gradu provehi posse concedimus ; fin vero axioma in medicina universaliter verum recordamus, “ fibram muscularem ad usque
“ tantummodo excitari posse, et ultra consequi atoni-
“ am ;” et porro, si inter causas in ventriculum ipsum agentes, complura stimulantia potentissima esse certum sit, hoc organum aliquando debile esse vel collapsus statu existere posse, aliis nondum ad summum vigorem excitatis, sicque morbum in quibusdam casibus recentioribus vere localem conspici et tractari debere, certe concludere licebit.

Exemplum, ni fallor, dyspepsiae simplicis localis in helluone voraci datur, cujus vultus, dum ventriculus summa debilitate laborat, valetudinis sanae signa fert.

Causae quae in ventriculum directe agunt, sunt opium, liquores spirituosi, tabaccum, thea, coffea, nimius acidorum vel cibi putrescentis usus, aromatica ; emetica vel purgantia nimis frequenter repetita, nimia medicamentorum tonicorum vel amarorum assumptio, et nimia ventriculi distentio.

Alia

Alia minus agentia enumerari possunt ; haec autem maxime pollent.

Modum operandi eorum, num mox applicata motum delent, vel ex prius stimulando eundem reprimunt, explicare haud auderemus ; de his igitur, five conjunctim seu singulatim commentaria habere, non indulgendum putamus, nec quando omnes eorum effectum ultimum debilitantem agnoscunt, necessarium, me judice, videtur.

De *thea*, quae in usu quotidiano est, et hujus mali causa frequentissima, pauca tantum dicemus.

Et si noxas, quas conqueruntur homines, non a *thea* ipsa, sed ab aqua eodem tempore sumpta, proficisci adhuc credunt plurimi ; tamen herbam vi noxia guadere ab experimentis compluribus ex proposito incoeptis concludere oportet *. Quod igitur jamdudum docuit

expe-

* Vide Cullen's Lectures on the Materia Medica, p. 305. ubi ait,
 " I have a stomach extremely sensible which I have found to have
 " been hurt by tea. This I at first attributed to the warm water, but
 " having

experientia, omnes scilicet hæc potentias hunc morbum attulisse iterum dicere fat fit ; et de hac re cum poetæ nostratis celebris ipsius verbis concludamus *,

“ That Facts are cheels that winna ding

“ An downa be disputed.”

Secundæ causarum divisioni, mentis exertionem acriorem, corporis exercitium neglectum, nimiumve, omnia animi pathemata violenta, venerem nimis cultam, omnes evacuationes generales copiosas, et cibi defectum vel pravitatem, referimus.

De his omnibus, nempe earum potentiam debilitantem cognoscentibus, plus exponere supervacaneum judicamus.

Causam

“ having used some indigenious plants with the same heat of water,

“ I found no harm ensue ; and the same experiment I have repeated

“ above 50 times with the same effect.” Vide Letfom.

* Vide Burns's Poems, p. 120.

Causam proximam, omnibus auctoribus consentientes, debilitatem vel atoniam statuimus; et huic fidem faciunt causarum remotarum cognitio, phaenomena, medela, cadaverumque sectiones.

Ratio signorum.—Tot exhibentur hujus morbi signa, quot singulorum rationem dare nos vetant, primorum igitur et frequentiorum breviter explicare conabimur.

Anorexia.—Hujus varias rationes reddere conati sunt physiologi, plurimas equidem repetitu indignas; causam pro effectu male sumpserunt, et exinde in nodum insolubilem rem conjecerunt, quod etiam divisiones eorum haud fere numerandas praecipue creasse videtur.

Hic, functionis cujusvis perfectionem a quodam fibrarum muscularium organi fungentis tono pendere dicimus, cum tonus quam in salute minor est, opus imperfecte fiet; et rata ratione secundum atoniae gradum: Hucusque confidenter progredi licet; omnia vero quae intercedunt investigare nos impotes confitemur.

Ad nostram opinionem stabiliendam, anorexiam scilicet forsan *frequentius* a debilitate oriri, observatio, hanc a quacunque tonum minuente causa, exempli gratia, moerore vel laetitia immodica, illatam fuisse multum confert. Semper autem hac ab causa anorexiam haud oriri haud negandum; quando etenim aeger sumopere a febre convalescens debilis, appetitum admodum voracem nonnunquam habet, hoc vix ab atonia ventriculi fieret.

Nausea.—Hic gradus interveniens in progressu ab anorexia ad vomitum videtur, eidem causae tunc ascribere licet.

Vomitus.—Quandocunque hoc absque stimulis potentibus applicatis adest, debilitati protinus referimus, et observationes quotidianae evacuationem quamcunque copiosam subitamve, pathema deprimens quodvis, aut cibi inediam diuturnam, vomitum saepe induxisse, opinionem magis suffulciunt.

Factis ergo confirmati, de ejus theoria plus dicere supervacaneum forsan videretur; conjecturam vero proponere audebimus, quae nostro judicio obscuritatem eliminare possit.

Primum propositum, atoniam spasmum gignere, experientia omnium comprobatum habemus; sic cum musculus atonicus est, pro rata parte irritabilior fit; exinde, atonia ventriculi maxima praesente, quid obstat quominus hoc viscus ex fluidorum ipsius applicatione in motus convulsivos incidat?

Hanc hypothesein offerre nos praecipue etiam induxit potentiae horum fluidorum in ventriculos sanos post mortem consideratio, (et aliquando in vivorum etiam), quam primo medicis labore et industria maxime laudanda indicavit ingeniosus Dominus Joannes Hunter. Iste, ingenio suo, succum gastricum fontium strangulatorum et aliorum subito necatorum, qui ante nullo laboraverant morbo, ventriculi tunicas in quibusdam partibus erosisse, et in aliis penitus foramina ad aperturam majorem

majorem effodisse inveniebat; unde ventriculi fluida potentissimis stimulantibus validis gaudere patebit*.

Inflatio.—Omnia ingesta vario gradu in fermentationem ruunt, praesertim causis ei in ventriculo faventibus subjecta, et quamvis succus gastricus hominis sani hanc proclivitatem spontaneam fere penitus sistendi potestate gaudere videtur, tamen cum vis hujus visceris muscularis debilitatur, liquor menstruus imperfectus et minore quantitate effundetur; ex qua causa cibi solatio plus temporis requiret, etiamque imperfecta erit, huic proclivitati spontaneae minus resistetur, morbida sequetur fermentatio, aërisque quantitas magna evolvetur, quae ad hanc distentionem explicandam satis sufficiet.

Ructus.—Hic aër elasticus nimis abundans cardiae fibras musculares eo usque stimulat, ut quodammodo ventriculi motus inversio fit, unde, (seu ab actione mechanica sive rationali, vel iis simul conjunctis, incertus sum), sensationis molestae causa per cardiam, ore tenus, et extra, forma ructus expellitur.

D

Cum

* Vide Hunter on the animal oeconomy, page 126. and 127.

Cum hoc organum ingestis tenditur, partes solidiores quaedam aëre evolvente levatae, vel fluidis circumvolutis minus specificè graves, oleo rancido aliisque commistis summis innatant, sicque cardiacam stimulantés eodem modo iisdemque causis, quibus aër rejicitur, rejiciuntur.

Hic processus ruminationem facit.

Cardialgia.—Ex supra dictis de massae alimentorum retentione diutius solito, fermentatione morbosa, et de diversae inter varias cibi partes gravitatis specificae sequelis, hunc sensum molestum Anglice *heartburn* improprie dictum, acri cuidam cardiacam irritanti, nil obstat quin attribueremus, exque ructibus plane acidis, hujus comitibus solitis, hoc acre acidum esse fermentatione acida genitum, aeque perspicue affirmare volumus.

Physiologus jam citatus celeberrimus dixit: “ That
 “ in most stomachs there is an acid, even although the
 “ animal has lived upon meat for many weeks.” Et in altero loco asseruit: “ The gastric juice is a fluid
 “ somewhat transparent, a little saltish or brackish to
 “ the taste. Whether this saltishness is essential, or
 “ only

“ only accidental, is not easily determined. Indeed,
 “ there are very few of our secretions which have not
 “ some salt in them; for it is found in the tears, the
 “ urine, the saliva, the secretion of the glans penis, of
 “ the glands of the urethra, and in the first and the
 “ last milk secreted in the udders of animals.

“ The only trial to which I ever put the gastric
 “ juice, to ascertain if it was acid, was with the syrup
 “ of violets; and in many of the trials the colour of
 “ the mixture was changed to red *.”

Ex omnibus hisce observationibus, succum gastricum sanorum aliquomodo acidum credamus; aciescentia quotidie deglutuntur, quae acorem, praesertim ventriculo morbido, augebunt, et re vera eructationes acidae nonnunquam adeo acres fiunt, ut dentium enamela durum sive encauston corrodunt, et dentes ipsos nigros reddunt.

Hinc plane patet cardialgiae indoles,

Gastrodyniae.

* Vide Hunter on the animal oeconomy, page 163. & 172.

Gastrodyniae.—Etsi hoc symptoma a variis causis oriri potest, tamen hic spalmo referendum esse opinor, quem comitem saltem, si non debilitatis effectum, compertum habemus.

Alvi adstrictio canalii alimentarii tono minuto etiam probabilius referenda est.

PROGNOSIS.

Hunc morbum ex se ipso raro mortem attulisse saepe observatum fuit, pertinacem vero et diuturnum esse bene notum est.

Si juveni adgrederetur, si per breve spatium tantum duravit, sique ex stimulorum communium aëris scilicet, exercitii et cibi nutrientis proprii defectu accessisse videtur, eventum fore secundum in genere polliceri audeamus; si vero aegro aetatis provectioris post causas remotas diu applicatas adveniret, vel si remediis saepe fugatus annofo recurreret, aut porro si ei pertinaci mor-

bi lethaliore supervenerint, prognos nostra minus
fausta erit.

METHODUS MEDENDI.

Confilia medendi tria sint.

1. Causis remotis quam maxime occurrere.
2. Symptomata graviora levare.
3. Partibus debilitatis tonum restituere.

Quod ad primum confilium attinet, de causis remotis
jam fatis narratum est, et nil nisi aegrum quam assidue
et curiose has potentias noxias vitaturum oportere ad-
monendum restat.

2. Symptomata graviora levare.

Quando

Quando complura morbi signa gravia morbum graviorem reddunt, ad ea mitiganda vel tollenda animum praecipue incumbere decet, horum itaque graviora feligere modumque eadem depellendi, optimum hic referre placet.

Anorexia, Nausea, Vomitus.—Haec et anorexia meri veteris cyathis, vel infusi aromatici, vel amari dosibus parvis levior fit; nausea autem et vomitus remedia fortiora plerumque requirent, quorum bene conveniunt spiritus vini Gallici, tinctura cardamomi, et similia.

Haec symptomata vero a fordibus putridis acidisve, digestionis imperfectae reliquiis, saepe occurrunt, semperque ingravescent; quando rem ita sese habere suspicatur, noxas emetico mitiore, theae nempe viridis, florum chamomaeli, vel raphani rustici infuso, vel sinapi, hisve vix emesinentibus, fortiore, ipecacoanha, vitriolo albo tartarove antimoniali, eliminare expediet.

Talibus autem, non nisi necessitas urget, uti oportet,
tametsi

tamen si etenim emeticorum actio innocua videatur, ultimus eorum effectus semper debilitans.

Si haec minus prodesse, opium solidum fluidumve vel mistura effervescentes propinetur; quando ventriculus haec rejicit, vomitu nempe urgente, multum levamen ex embrocationibus opiatis, balsamo scilicet anodyno, aliisve, circa epigastrium admotis, vel enematibus opii copiam gerentibus, consequetur.

Quum haec omnia ad emesin pertinacem sistendum parum valuerunt, vesicatorium magnum regioni epigastricae applicatum, ut ipse in Nosocomio Regio vidi, valuit; et nonnullis casibus, quum hoc etiam ad optatum effectum edendum minus pollebat, aceti puri cochlearia sex octove, remedium tali re haud equidem proprium visum, vomitum subsistere polluerunt.

Hanc praxin, ut et complures alias praecellentes a medico ejusdem Nosocomio Doctore Hamilton ibi degens didici, cujus ingenium acutum, ex effectibus optimis quos in singultu, multis aliis frustra datis, illustra-

bat eruditus Professor Gregory in cursu clinico anni 1783, apud Nosocomium habito, hoc remedio contra vomitiones pertinaces illum uti duxit.

Sic casu primum in hac urbe, medicinae regina, contra singultum cognitum fuit acetum, ex Professoris egregii discipuli cujusdam suggestione amici mei Domini Aitkinson, cujus pater singultu, aliis remediis incassum tentatis, moribundus, aceto propinato, monente ano, sanus revivebat.

Professori candide artis imbecillitatem confitenti, discipulorumque suorum opem roganti et grate accipienti, vix nimia laus danda.

Anti-emeticorum efficaciam jam dictam ipse ex experientia propria attestari possum; pro bono publico autem, remedium aliud simplex hic dicere decet, quod, aliis aut frustra petitis vel adhibitis, a quibusdam utilissimum repertum est, semperque in promptu sit, salis nempe marini quantitas parva.

Medicamentum

Medicamentum aliud antiemeticum mihi retulit amicus meus Thomas Morrison, M. D. Londini artem Apollineam feliciter colens, bello ultimo chirurgus militaris, et Infularum Indiae Occidentalis Britannicarum medicamentarius primus emeritus.

Ille in vomitionibus febrem flavam Indiae Occidentalis pertinacissime comitantibus, quibus laborabant milites, postquam multa alia incassum tentaverat, pulveris florum chamomaeli doses parvas, utpote grana duodecim, sat longis intervallis aegris dandas curabat, quae ipsius votis fere semper respondebant, et in dyspepsia eundem edere possunt effectum.

Inflatio, Cardialgia.—Hae molestiae a cibo improprio saepe proveniunt, et inde semper graviores fiunt; unde diaetae rationem habere seduloque attendere quam maxime opus videtur; res itaque praecipue vitandas, quaeque facilius retentas, hic breviter designare aggrediemur.

Res omnes diaeteticae fermentationi valde proclives, quales sunt olera, fructus subacidi, liquores fermentati;

tati, &c. sedulo vitentur; ut et quae stimulo minimo infruuntur, aqua, theae infusio, juscula tenuia, aliaque, et quando forsitan infumerentur, condimenti aliquantum simul deglutire oportet.

Cibus fit praecipue animalis cum fluidorum minima opus quantitate conjunctus.

Huic autem objectum fuit, cibum animale fluidorum putredinem generare; hanc vero sententiam plus ex theoria quam experientia pendere verisimile est; et si quae erga putredinem proclivitas conspiceretur, sit vegetabilium quantitas ingesta major.

Vegetabilia porro sola, potius quam cibo animali adjuncta, forsitan sumere praestat, ab experimentis etenim hunc illorum fermentationem expedire repertum fuit*.

Aegro igitur cibum animale et vegetabilem alternatim edere forsan facilius praestabit.

Quantum

* Vide Appendix to Pringle's diseases of the army, p. 72. exp. 41.

Quantum potum spectat, cerevisia Londinensis, *porter* dicta, liquorum omnium ex byne confectorum optimus, saepe plurimis convenit, et vetustior fere nihil noxae plerumque inferre potest.

Vino vetusto laudes etiam jure tribuuntur; nostro autem judicio, his anteponendus est spiritus vini Gallici vel Genevensis, cum aqua modice bibitus.

Quum inflatio ingravescit, stimulantium leviorum, quae succorum fermentationi occurrentium ex faucibus et ventriculo effusionem adaugent, usu levior fiet, necnon per medicamenta fermentationem sistentia, qualia sunt acida fossilia, et praecipue vitriolicum, salia alkalina fixa, et alcohol.

Sal alkalinum aliis, quod cum ventriculi acido mistum salem medium format, plerumque antefertur, et causticum plus praestabit; nullus etenim aër elasticus tunc evolvetur.

Cardialgia stimulantibus amaris et absorbentibus, utpote magnesia calcinata, aqua calcis, salibus alkalinis causticis, sublevari potest.

Demulcentia et opiata aliquibus profuisse fertur; medicamenta vero numerata plus pollere videntur.

Gastrodyniae.—In his ad stimulos potentissimos recurrendum est, aether nempe vitriolicum, alkali volatile, moschum, gummi foetida, opiumque. Per alterutrum dolores vulgo tolluntur; sed omnium forte optimum est *opium*, longeque usitatissimum, et in nullo exemplo artis medicae utilitas vera generi humano luculentius elucere potest, quam ex doloris ventriculi spasmodici cruciantis *levamine fere instantaneo* quod secum adfert hoc remedium.

Grate pulchreque de ejus usu recordavit Sydenhamus reverendus, cujus verba hic referre delectat:

“ Quin imo ita necessarium est in hominis periti
 “ manu organum, jam laudatum medicamentum, ut
 “ sine

“ sine illo manca fit ac claudicet medicina; qui vero
 “ eodem instructus fuerit, majora praestabit, quam quis
 “ ab uno remedio facile speraverit; rudis enim fit
 “ oportet, et parum compertam habeat hujus medica-
 “ menti vim, qui idem sopori conciliando, demulcendis
 “ doloribus et diarrhoeae sistendae, tantum novit, cum
 “ ad alia plurima, gladii instar Delphici, accommodari
 “ possit, et praestantissimum fit remedium cardiacum,
 “ unicum pene dixerim, quod in rerum natura haec-
 “ nus est repertum *.”

Alvus astricta.—Purgantia etiam leniora vix hic prae-
 cipi possunt; actio eorum etenim, quamvis levis, affecti-
 onem primariam atoniam nempe augere spectat.

Inter laxantia mitiora, aloes, oleum ricini, salesque
 neutri, numerantur, parvis dosibus sumpti; haec autem
 incommodis haud vacant; aloes etenim, ubi haemor-
 rhois minatur vel adest, malum, oleosa nimis relaxant
 nauseamque creant, et sales vel haud satis vel nimium
 stimulant.

Rhabarbarum

* Vide Sydenhami opera, et paginam 186.

Rhabarbarum in ore frequenter mansum multum laudatur, multisque exemplis tum ad alvum molliendum ac appetitum acuendum responfit.

Laxans, quod minimo cum incommodo ac efficacius exhibitum observavi, fuit jalappae, cum crySTALLIS tartari, ut in Pharmacopoeia sua, pulverem e jalappa compositum parari jussit * Collegium medicorum Edinense Regium, dosi parva, puta scrupulum, mane sumpta.

Certe autem, quando propulsio ab intestinorum debilitate tarda evadit, ista medicamenta, quae iis robur restitunt, effectus laxantes praestantiores producent.

Ea sunt tonica, cortex Peruvianus, &c.

3. Partibus debilitatis tonum restituere.

De tonicorum classe, ea quae ventriculo ipsi admoventur, primum, acida nempe fossilia, metallica, amara, et vina, tunc quae actionem magis generalem habent,
exercitium,

* Vide Pharmacopoeiam Edinensem.

exercitium, scilicet, aërem salutarem, vestitum modice calidum, animi delectationes, balneumque frigidum, breviter dicam.

1. Acidorum optimum est vitriolicum, et parvae aromati quantitati adjunctum, ut sub forma elixir vitriolici optime exhibetur.

2. E metallis ferrum plurimum possit, et plerumque in hoc morbo sine injuria; ex eo praeparata varia usurpantur; quando autem pleraque metalla nullum in corpore edunt effectum, donec statim in salinum transeunt, id, utpote efficacius quod jam salinum habemus, martis falem nempe, vel tincturam, anteponendum duco.

Aquae chalybeatae minerales, in quas ferrum dispergitur, ad ventriculum roborandum jure laudantur, et tonicum post magnam vini ingurgitationem aqua ipsa frigida effectum luculenter ostendit, nauseam nempe sublevans, vomitumque sistens.

3. *Amara.*—Plurimis adhuc utuntur medici; cortex autem Peruvianus, radices casputae, columbo, et gentianae,

tianae, necnon herbae chamomaelum et absynthium, praestantiora esse videntur.

Cortex inter haec primum tenet locum, solidus vero rerum alentium fermentationem promovere inventus est; tinctura igitur infusumve frigidum melius seligetur, et cuidam aromati, ut cinnamomi vel aurantiorum cortici gratius adhibebitur.

4. Ex vinosis, vinum vetus Portugalenſe palmam plerumque fert.

5. Exercitium gradu modico sumptum corpus insigniter roborat; sin vero caute usurpatum aequè insigniter debilitat.

Ambulationi, quantum opus esse videtur, utpote exercitationem muscutorum majorem requirenti, fides vix danda; tunc igitur ad gestationem recurrendum est.

Aliis praestare videtur equitatio, potentiis quia aliis salutiferis applicandis favet, et in morbis omnium abdominis viscerum, laudibus sustulit plurimis peritus Huxham*.

De

* Vide Treatise on Devonshire colic, p. 50. 51.

De effectibus bonis quos aër salubris, vestitus modice calidus, animi delectamenta, balneumque frigidum, systemati generali, et praecipue ventriculo, singulatim conferunt, quando omnibus tantum pateant, tamque familiares sint, ullam offerre explicationem supervacaneum videtur.

Ex officio aegros in nosocomio magno curandi, tantum temporis et attentionis ad rem tractandam, cujus momenti altum percipio sensum, quantum mihi fuit, suppeditavi, et quando hoc coram iudicibus liberalibus ingenue confiteor; eos ergo erroribus qui hic scateri inveniuntur ignoturos spero.

Absoluto sic, pro virili, opusculo nostro, almae huic academiae non prius valedicere possum, quam Professoribus ejus claris grates cordatas agam, quorum praelectiones me tironem imperitum elementis medicinae excultae primum auspicato imbuerunt.

Alii adhuc supersunt quibus me multis beneficiis obstrictum sincero animo lubenter agnosco, praecipue

tunc curatoribus medicis et chirurgis Nosocomii Regii Edinensis, ubi multum scientiae verae et practicae, aliter haud discendae per triennium degens feliciter hausi.

Praesertim autem Jacobo Hamilton, nosocomii ejusdem medico seniori, propter indulgentiam ac benignitatem, quibus me ibi sub illius ductu nunquam non profecutus est, et propter fructum manifestum quem e methodo ejus medendi, cui quotidie juvare aliquandiu mihi contigit, obolum grati animi indicium hic solvere laetor.

Hic etiam, quantum amicis meis Edmundo Goodwin Medicinae Doctori, de medicis omnibus, ob lucem ab ejus ingenio oeconomiae animalis affusam, optime merito, Carolo Keith, M. D. medicinam apud Morpeth, necnon Valentino Girard Parisiis id facienti, omnibus qui norunt dilectis, me devinctum habeam agnoscere juvat.

Denique,

Denique, ante finem factum, tantum restat, ut Societatis Physicæ sociis, quorum per annos aliquot in comitiis confedi, atque aure fitiente dissertationes de re medica argutas audivi, ob testimonia in me collata, gratias maximas agendi hanc occasionem arriperem.

Diu intra pomaeria hujus academiae illustris floreat, et sint ejus sodales ubicunque terrarum in honorem suum, et generis humani commodum, felices, beati, docti.

F I N I S.

THE DYSTONIA

...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...

...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...

...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...

...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...

...the ... of ...
...the ... of ...
...the ... of ...